Praeterea ens imponitur ad signandum id, cui primo imponitur ita proprie et distincte, sicut quodcumque nomen univoce imponitur ad signandum suum signatum cui primo imponitur. Cum igitur hoc nomen homo id quod proprie signat, sub propria ratione significet, hoc enim est signare, ergo conceptus essentialis entis in substantia est substantia sub eius propria ratione.

Item demus, quod conceptus ille sit alius, non tamen communior conceptu substantiae, numquam salvabitur, quod aliqua habeant unitatem in ente, quin etiam in substantia habeant unitatem excepta unitate vocis.

Ad istas instantias dico, quod sicut definitio et definitum habent alios conceptus, aliter enim in demonstrationibus esset petitio et conceptus definitionis est prior et notior, non tamen excedit conceptum definiti quantum ad communitatem, licet sit prior, quia notius exprimit conceptum definiti quam per definitum signaretur, notius dico secundum naturam, quantum ad nos vero via generationis doctrinae definitum est prius notum quam definitio, ut in prooemio huius libri dictum est. Ita ens in substantia et substantia habent alios conceptus. Conceptus tamen entis est nobis notior, licet secundum naturam sit econverso. Et per hoc patet, quod instantiae non procedunt.

[10] Ad aliud principale dicendum, quod bene concludit et ego concedo, quod in statu nostro non assurgimus in cognitionem primae causae directe cognoscendo quid est, sed solum discurrendo a causis particularibus. Ex earum ordine et ex motus perpetuitate convincimus primum esse. Unde dico, quod isto modo scimus quia est, sed ignoramus quid sit intelligendo per

ignorantiam privationem cognitionis directae et perfectae. Et si dicatur, quod discursus praesupponit cognitionem aliqualem simplicium, dicendum, quod in discursu, quo investigamus primum esse, praesupponitur solum de primo quid nominis, quae est cognitio imperfecta.

[11] Ad aliud dicendum, quod perfectio pura non dicitur propter hoc, quod nullum defectum vel negationem includit, nam secundum hoc nullus actus in mundo nec accidentalis nec substantialis est, quin posset dici pura perfectio, immo materia secundum hoc est perfectio pura; nam entitatem ponit et nullam negationem includit. Dicitur igitur actus purus vel perfectio pura, ut distinguitur contra admixtionem vel compositionem alicuius naturae extraneae cum ipsa. Sed hoc contingit dupliciter: Uno modo, quia nullam compositionem in se habet nec regulans sicut ista corporalia nec regulatum sicut intellegentiae quae includunt dua principia rationis, scilicet genus et differentiam. Et secundum hoc differentiae ultimae et praeterea genera possunt dici actus puri, cum non sint resolubilia in aliqua duo, quorum unum sit actus et aliud potentia vel ut potentia, nulla tamen species in genere sic est actus purus.

Alio modo dicitur actus purus vel perfectio pura non solum ex hoc, quia nullam compositionem in se habet, sed quia cum hoc nulla alia est composibilis, nec sicut perfectio nec sicut perfectibile. Et isto modo solum primum est actus purus et perfectio pura, differentiae ultimae sunt composibiles aliis. Similiter etiam genera prima et substantiae etiam separatae sunt composibiles cum accidentibus, quorum sunt subiecta et sunt compositae, ex quo et quali principia etiam definitionum earum sunt composibilia. Advertendum tamen, quod ista simplicitas non potest convinci de primo per aliam rationem naturalem, puta per hoc quod movet tempore infinito, sicut satis ostendetur in VIII.[1] Quod autem Philosophus[2] XII. ostendit, quod sit actus purus, non concludit aliam puritatem nisi illam, quae distinguit a compositione materiae cum forma, ut patet per eius medium. Arguitur enim sic: si esset potentia in primo, posset non movere et per

[1] Cod. lat. Amplonianus. C A 2° 178 fol. 61 v.
[2] Metaph. XI c. 6, 1071 b.

consequens motus non esse, quod habet pro impossibili. Similiter ibidem, postquam ostendit, quod est actus purus, videtur sentire, quod relationes sunt tales, quod omnino repugnat actui puro (?) tertio modo dicto. Unde non invenietur alicubi de Philosopho, quod primum sit ita simplex et purus, quin illa simplicitate non obstante posset poni in genere. Verum est tamen, quod Commentator[1] in XII., ubi ponit duplicem motorem separatum et coniunctum, ut per hoc vitet, quod primum movens non moveat in instanti, videtur sentire, quod primum sit infinitae virtutis in vigore, ex quo supposito statim sequitur, quod omni compositione caret et etiam componente, compositione, quia quanto inseparatum aliquid est perfectius intentione tanto simplicius. Ergo si infinitate sit perfectius intentione, quod sequitur, si virtus eius sit intensive infinita, sequitur quod omni compositione caret et regulans et regulatum seu etiam rationum quiddidativarum, quia infiniti ad finitum nullius est comparatio. Similiter si aliqua in mundo esset in eo compositio, statim ab uno componentium posset accipi genus et ab alio differentia, quia neccessarium esset, quod alterum principiorum se haberet ut potentia et alterum ut actus, ex quo sequeretur ulterius, quod haberet perfectionem limitatam. Similiter ex eodem sequeretur, quod non sit composibilis, quia esse composibile vel se habet ut potentia vel ut actus. Si primo modo est limitabile ad speciem; si secundo modo, tunc est limitans ad certam speciem sub genere, quorum utrumque primo repugnet. Similiter primum ex hoc quod perfectissimum est per se ens et per consequens nullo modo composibilis sicut pars vel principium. Ex isto ulterius sequitur, quod primum non est subiectum alicuius accidentis, quia subiectum respectu accidentis habet rationem potentiae, et cum hoc oportet, quod sit in actu et per consequens oportet ponere in in omni tali potentiam et actum saltem ratione quidditativa distincta, quod primo repugnet.

Sequitur etiam ex hoc ulterius, cum nullam omnino compositionem habeat, quod quidquid est in ipso formaliter est ipsum essentialiter et ratione quiddidativa, quae ex parte sui poterit inveniri, ita quod substantia dicta de deo non praedicat intellectum simpliciorem de eo et abstrahabilem ab ipso, sed quod om-

---

[1] Com. 41 ed. Venet. 1552 fol. 152ra.

nino idem sit differentiae re et ratione ex parte primi. Deus est substantia et deus est deus, et eodem modo de omnibus, quae de eo dicuntur. Et ex ista simplicitate sequitur, quod a quo primum distinguitur, se toto distinguitur. Intellegendum est tamen, quod istam infinitatem virtutis primi in vigore, ex qua ista simplicitas primi concluditur, nec probat alicubi Commentator, quod inveni, nec credo, quod per effectus naturales concludi posset. Theologi tamen hoc probant per creationem, quam Aristoteles negaret et eius Commentator similiter, nec credo quod creatio ratione naturali probari possit.[1]

Hiis intellectis, supposito quod primum omni compositione careat, respondeo ad argumentum et dico, quod sicut arguens imaginatur falsum, scilicet quod creata solum distinguuntur a primo per defectum perfectionis et quendam recessum a perfectione primi; es istud est falsum manifestum. Nam quaero, an ille defectus sit intra essentiam creati vel extra scilicet consequens essentiam: Si intra, sequuntur multa absurda, scilicet quod creata componuntur ex aliquo et nihilo, similiter quod per nihil distinguuntur a primo et tamen ab eo distinguuntur, similiter quod natura divina est limitata et limitabilis, puta in creatis. Si detur quod extra, sequitur, quod nullus ordo est essentialis entium nec etiam distinctio essentialis creaturarum a deo.

Dico ergo ad rationem, quod circumscribendo a creato omnem defectum, scilicet negationem et privationem per intellectum, adhuc illud positivum, quod remanet, se toto distinguitur a primo. Et cum arguitur, quod primum est infinita perfectio formaliter, ergo quaecumque perfectio formalis circumscribendo ab eo id, quod perfectionis est, est in eo formaliter; nego consequentiam, quia oppositum sequitur.

Circa quod sciendum, quod non dicitur formaliter infinita perfectionis in comparatione ad extra, scilicet quia omnes alias perfectiones extra se in se formaliter habet, nam secundum hoc non posset dici infinitus formaliter, quia nec sunt possibiles esse infinitae perfectiones rerum, tum quia in hoc clauderet contradic-

---

[1] Vgl. Thomas von Wylton, Quodl. I q. 1: An essentia divina sit perfectio inifinita intensive, Cod. Vat. Borgh. 36 fol. 47: vgl. dazu A. Maier, Das Lehrstück von den „vires infatigabiles" in der scholastischen Naturphilosophie, in: Arch. intern. d'hist. des scienc. 18–19 (1952) 15 f.

tionem, quod esset simplicissimum et tamen distinctae perfectiones essent formaliter, scilicet sub propriis accidentibus in ipso. Similiter[1] eo ipso, quo agens aequivocum, nulla perfectio creaturae est in ipso formaliter, quia tunc essent ipsaemet. Et ideo sequitur eo ipso, quod est infinita perfectio intensive et per consequens simplicius, quod nulla perfectio creata est in eo formaliter sed virtualiter tantum.[2] Dicitur ergo perfectio infinita et illimitata, quia in illo est nulla compositio principiorum, quorum uno limitetur ad certum genus et altero ad speciem, sicut in omnibus creatis actualiter. Sed contra sequitur: si aliqua quantitas est infinita nec aliqua extra ipsam formaliter, ergo a simili: si primum sit perfectio infinita formaliter, nulla perfectio formalis erit formaliter extra ipsum.

Item si solum virtualiter perfectio muscae esset in deo sequeretur, quod sicut magis bonum est formaliter sanitas in actu formaliter cum sanitate virtuali in sole quam sanitas in virtute tantum, ita musca cum deo faceret maius bonum formaliter quam deus per se. Item sequeretur, quod multae perfectiones deficerent deo formaliter.

Ad primum dicendum, quod non est simile, quia intensio dicitur per comparationem ad intra, et ideo quanto perfectio aliqua maior intensive, tanto est simplicior et ideo infinita, si ponitur, non tollit, multitudinem perfectionum extra se. Sed extensio dicitur per comparationem ad extra, unde maior extensio exigit maiorem locum et infinita totum locum occupat, ratione cuius maiorem quantitatem extra se dimmittit.

Ad aliud. Conclusionem concedo et eam concedit Philosophus[3] primo *Ethicorum*.

Ad tertium dico, quod alicui deficere aliquid potest intelligi dupliciter. Uno modo et improprie, scilicet eo solum, quod non

---

[1] In der Hs. geht der Satz voraus: Similiter eo ipso quo agens aequivoce nulla perfectio creaturae est in ipso formaliter scilicet sub propriis accidentibus in ipso.

[2] Vgl. Quodl. I q. 5: Utrum rationes quae dicuntur de Deo sint eadem inter se omnibus modis ex parte rei; q. 21: Utrum quaelibet ratio attributalis in Deo sit infinita formaliter.

[3] An der angeführten Stelle behandelt Aristoteles diese These nicht.

habet illud, et isto modo deficit mihi perfectio asiniva. Alio modo, quod solum dicatur alicui deficere aliquid, quod, si ponatur in eo, perfectionem ponit in eo. Primo modo multae perfectiones deficiunt primo, secundo modo non. Propter rationes etiam, quae possunt fieri, sciendum, quod perfectio simpliciter tripliciter potest accipi: Uno modo, quod dicatur perfectio simpliciter illa, quae nullum defectum includit, et sic quicumque actus sive substantialis sive accidentalis est perfectio simpliciter. Secundo modo potest dici perfectio simpliciter omnis actus dans esse simpliciter non esse secundum quid, et sic omnis forma substantialis est perfectio simpliciter. Tertio modo dicitur perfectio simpliciter, quia principaliter et potissime dicta, quia scilicet sic se habet, quod unicuique melius est esse tale quam non tale. Loquendo igitur de perfectione simpliciter isto modo, dico, quod omnis talis perfectio est in deo et est ipse deus formaliter, loquendo vero de perfectione simpliciter primo et secundo modo non.

II. Quia vero multi aliter sentiunt in ista quaestione et solvunt ad rationes, quae contra eos fiunt, ideo ut videatur utraque opinio sufficienter, quaeramus eandem quaestionem: utrum scilicet ens dicatur intentionem unam communem substantiae et accidenti.

Et videtur quod non [1] Porphyrius,[1] qui dicit, quod, si quis omnia entia vocet aequivoce nuncupabit. Quod probans etiam idem Porphyrius dicit, quod sola vox est communis X praedicamentis.

[2] Item Aristoteles in libro *Praedicamentorum*[2] parum ante capitulum de substantia dicit, quod singularium incomplexorum aut signat substantiam aut quantitatem etc.

[3] Praeterea idem Philosophus I. *Physicorum* arguens contra ponentes omnia esse unum accipit hoc pro principio, quod ens et unum multipliciter dicuntur.[3] Et ibidem dicit Commentator, quod hoc est notorium.

---

[1] Liber praedicabilium c. 3: De specie. Aristotelis opera ed. Venet. 1552 fol. 3rb I 3ra.

[2] c. 4, 1b–2a.

[3] c. 2, 185b, vgl. Averroes, Phys. I com 16 ed. Venet. 1552, fol. 7r–v.

[4] Praeterea idem Philosophus[1] IV. *Metaphysicae* et Commentator multis locis dicunt, quod ens non est aequivocum neque secundum unum quod est esse univocum sed analogum.

[5] Praeterea III. *Metaphysicae* probat Philosophus,[2] quod ens genus, quia tunc haberet differentias, extra quarum intellectum ipsum esset, sed ut dicit ibidem, non habet differentias, extra quarum intellectum ipsum sit. Ergo non est genus. Si tamen esset univocum, ipsum esset genus; competeret enim sibi definitio generis.

(6) Item VIII. *Metaphysicae* vult Philosophus,[3] quod ens est statim id, quod est, ita quod non habet differentiam, quam exspectat, per quam determinatur ad speciem. Si tamen haberet intentionem contrariam, non statim esset quodlibet praedictorum, sed per aliquid additum vero, quam exspectat, per quam determinatur ad speciem descendit.

[7] Item X. *Metaphysicae* commento VIII dicit Commentator,[4] quod ens signat quodlibet praedicamentorum sine medio non sicut animal hominem, scilicet per medium, animal enim signat intentionem communem.

[8] Item per rationes: Si habeant conceptum communem, tunc arguitur: Substantia et quantitas conveniunt in ente et distinguntur formaliter; ergo in aliquo reali conveniunt et etiam realiter distinguuntur. Sed impossibile est, quod eodem principio reali differant et conveniant, ergo alio et alio. Et per consequens tam substantia quam quantitas sunt differentes et per consequens species. Similiter omne commune descendens in aliquid descendit per additum sibi; igitur illud quo contrahitur vel determinatur ens ad substantiam erit additum enti. Sed nihil est additum enti nisi non ens, ergo ens descendit in substantiam per non ens, quod est nihil; ergo per consequens substantia formaliter est nihil. Et cum distinguetur a quantitate per nihil, sequitur etiam, quod quantitas et substantia et omnia praedicamenta

[1] Metaph. III c. 2, 1003a.
[2] Metaph. II c. 3, 998b.
[3] Metaph. VII c. 6, 1045 b.
[4] ed. Venet. 1552 fol. 120vb–121ra.

componuntur ex aliquo et nihilo. Ista sunt igitur argumenta, quae etiam superius deducebantur pro parte ista in ista eadem quaestione.

Ad quaestionem istam dicitur, quod ens habet unum conceptum communem substantiae et aliis praedicamentis, qui conceptus est alius prior et notior conceptu substantiae vel alicuius praedicamenti cum hoc. Tamen dicitur, quod iste conceptus de substantiis et aliis generibus non dicitur totum univoce, sed secundum prius et posterius. Et haec est positio Algazel[1] VI. capitulo *Metaphysicae* suae: Primum scilicet, quod conceptus entis sit alius quam substantiae vel accidentis probat sic, quia contingit aliquem dubitare de aliquo x praedicamentorum, scilicet de quantitate, utrum sit accidens vel substantia sicut multi antiqui dubitaverunt, utrum tamen quantitas ut figurae vel numeri sint entia nullus umquam dubitavit, cum hoc sit manifestum sensui. Ex quo elicitur ista ratio: Licet enim aliquis de eadem re sub alio et alio conceptu possit esse dubius et certus, tamen quod idem conceptus sit alicui dubius et eidem certus, est non intelligibile. Quod sit prior etiam patet, quia sequitur substantia, ergo ens vel qualitas, ergo ens et non convertitur. Ergo etc. Quod sit notior probat, quia substantia et alia praedicamenta, quia sunt prima genera definiri non possunt, tamen possunt describi. Sed ens nec habet definitionem nec descriptionem, quia tam definitio quam descriptio datur causa innotescendi, nunc autem nihil notius est ratione entis. Et voco rationem entis ipsam entitatem, quae in nulla alia priori nec quoad nos nec simpliciter resolvitur nec exponitur.

Secundum declarat sic, quod iste conceptus non est pure univocus, quia univoce aequaliter et eodem modo respicit sua contenta, non unum debilius, ut dicit, et aliud fortius, nec unum prius et aliud posterius, sicut patet de aliis. Licet enim comparando hominem ad muscam, homo sit perfectius musca et in ente, tamen comparando ista duo ad conceptum animalis abstractum ab hiis duobus omnino respiciuntur, sed sunt species coaequae. Sed substantia perfectius participat entitatem quam aliquod accidens, quia accidens, entitatem non participat, nisi per hoc,

[1] Philosophiae Algazelis ed. Muckle, Toronto 1933, 24–25.

quod inhaeret substantiae vel accidentaliter vel aptitudinaliter saltem. Et ideo ratio entis non omnino univoce, sed analogice, scilicet secundum prius et posterius participatur ab hiis. Alagazel tamen dicit, quod potest dici nomen ambiguum.

[1] Ad argumenta ergo oppositum dicendum et primo ad auctoritates: Dico quod auctoritas prima peccat tripliciter: Primo quia interimit se ipsum; nam per hoc quod dicit: si quis omnia entia vocat aequivoce nuncupabit, supponit et utitur ente sicut univoco, aliter propositio esset distinguenda et quolibet subiectu falsa. Similiter cum dicit aequivoce, inquit, nuncupabit Aristoteles[1] in libro primo *Physicorum* et IV. *Metaphysicae*, et ibi non vult Philosophus, quod sit pure aequivocum, sed analogum et hoc concedo. Similiter supposito, quod diceret naturalis, quod esset aequivocum vel metaphoricum, hoc non arguit, quin possit habere intentionem communem, sicut patet de generatione. Nam naturalis II. *Physicorum*[2] dicit, quod in genere latent multae aequivocationes.

Ad aliud cum dicit, quod sola vox est communis, dicendum, quod Porphyrius utitur aequivocatione ut distinguitur contra univocationem, secundum quod ipse loquitur de univocatione; et sic concedendum est, quod ens est aequivoce nec aliquam rationem habet univocem univocatione generis vel speciei vel alicuius universalium. Et ideo dicit, quod dicitur aequivoce distingendo medium praedicandi entis contra univocitatem universalium.

[2] Ad aliud de libro *Praedicamentorum* dicendum, quod iste est intellectus singularium entium incompositorum contentorum sub ente aut signat substantiam aut quantitatem etc; dicetur, Boethius[3] dicit, quod X genera sunt generalissima, ergo nihil generalius eis. Dico quod verum est, quod nullum genus erit super ea, immo non sunt generalissima, sed genera generalissima, hoc est inter genera illa sunt generalissima.

[3] Ad illud I. *Physicorum*: concedo, quod hoc est principium et notorium sensui, quia ens et unum multipliciter dividuntur, hoc est de multis dicuntur, et per consequens multa sunt entia,

[1] Phys. I c. 2, 185b; Metaph. IV c. 7, 1017a–b.

[2] c. 4, 249a.

[3] In categorias Aristotelis cap. De denominationibus, PL 64, 181.

quod ipsi negaverunt, cum ipsi posuerunt tantum unum esse communem multitudinem excludentes nisi secundum apparentiam tantum.

(4) Ad illud IV. *Metaphysicae*: concedo, quod non dicitur ens de omnibus secundum unum, hoc est univoce, sed ad unum, hoc est analogice. Et si dicatur, quod Aristoteles dicit, quod ens dicitur ad unum sicut sanitas in urina, dieta et aliis, dicendum, quod illa similitudo habet attendi quantum ad hoc quod utrumque est analogum, non tamen quantum ad modum analogiae. Exemplum ponamus, quod duo scribant, unus bene at alius male; tunc de istis duobus potest dici, quod, sicut scribit unus sic et alius, sed istud habebit veritatem inquantum li sicut dicit similitudinem in actu, non in modo agendi.

[5] Ad auctoritatem III. *Metaphysicae*: Concedo, quod ens non est genus, tum quia non est univocum perfecte, ut dicitur postea, tum etiam quia non ponitur in quid, ut postea dicetur, cum nec sit definitio nec pars definitionis. Non tamen sequitur ex hoc, quod non habet intentionem communem, immo magis oppositum sequitur ex illa auctoritate, quia nisi supponeret Aristoteles, quod ens diceret unam rationem communem, propositio, quam capit ad hoc probandum, scilicet quod ens non habet differentias, extra quarum intellectum sit, esset mutipliciter et in quolibet subiectu falsa.

[6] Ad aliud dicendum, quod pro tanto ens statim est unumquodque praedicamentorum per Philosophum, non quia signat unumquodque, sub propria ratione vel aliquod eorum, sed quia non descendit per differentiam sibi additam ex qua et ente constituatur intellectus substantiae vel quantitatis et sic de aliis, quemadmodum genus descendit in species, scilicet per differentias sibi additas ex quibus et genere constituitur species.

[7] Per idem ad auctoritatem Commentatoris X. dicendum, quod pro tanto dicit, quod ens signat substantiam, quantitatem etc. sine medio, quia scilicet non descendit per additum eo modo quo dictum est.

[8] Tunc ergo ulterius ad rationes respondeo praemittendo, quod ens non ponitur de substantia et aliis generibus nec etiam de suis consequentiis in quid sicut pars constituens quiddita-

tem; et hoc dicit Algazel ubi prius, quod ens est extra quidditatem rerum; et eodem modo Avicenna[1] V. *Methaphysicae* suae capitulo VI. dicit, quod numerus et color distinguuntur totis quidditatibus, conveniunt tamen, ut dicit, in ente. Ens autem, ut dicit, non est de quidditate, sed est concomitans quidditatem. Volunt igitur tam Avicenna quam Algazel dicere quod, licet ens sit aliquo modo de essentia de uniuscuiuscumque, pro quanto non dicit dispositionem realem additam sicut exemplificat ibi Avicenna de genere respectu differentiae, tamen non est de essentia sicut pars constituens rei quidditatem vel sicut definitio quae totam quidditatem indicat; per hoc igitur ad omnes rationes.

[1] Ad primum concedo, quod conveniunt substantia et quantitas in ente eo quod differant nec tamen ex hoc sequitur primo nec sequitur, quod ab illo in quo conveniunt possit accipi ratio generaliter, quia non conveniunt in ente sicut in principio constitutivo quidditatis. Et per hoc etiam patet solutio ad omnia alia, scilicet quod non componitur substantia ex ente et nihilo, quia ens non est principium constituens ipsam nec inclusum sicut pars, sed idem totum, quod dicit substantia distincte, ens dicit modo indistincto. Sed forte contra hoc dicetur, quod, ut habetur I. *Posteriorum*,[2] haec propositio est immediata: nulla substantia est quantitas, quia substantia et quantitas se ipsis distinguuntur et per consequens in nullo conveniunt et sic nec in ente.

[2] Item ens erit VI. universale.

[3] Item non sequitur nec est definitio nec pars definiti, ergo non ponitur in quid, quia secundum hanc rationem substantia non ponitur in quid de homine.

[4] Item substantia est ens, ergo vel per se et per essentiam vel per aliud et per consequens per accidens. Si detur primum, ergo cum essentia rei et quidditas rei sint idem, ergo pertinet et est de quidditate substantiae, si per additum, capio illud additum et cum sit ens vel ergo per se vel per additum. Si per se eadem ratione standum fuit in primo, si per additum, vel erit processus in infinitum vel erit standum in primo. Et hoc est idem Commentatoris[3] de uno IV. *Metaphysicae*.

[1] ed. Venet. 1508 fol. 90 va.

[2] Post. I c. 17; cf. Averroes, ibid. comm. 155–159, ed. Venet. 1552 fol. 180v bis 183r. [3] com. 3 ed. Venet. 1552, fol. 32r.

[5] Item ens, ex quo est commune, ex se non determinatur ad aliquod praedicamentorum, quia unum indifferens ex se est ratio determinandi ad id ad quod est indifferens, ergo per additum sibi. Sed illud additum non potest esse ens, quia additum enti non est ens. Ergo est non ens.

[6] Item si sic, per rationes quae positae sunt posset concludi quod ens esset commune causae et causatis, ex quo sequitur, quod aliquid esset prius deo et etiam quod aliquid est simplicius deo, quia quanto communius tanto simplicius.

[7] Item cum deus sit simpliciter simplex, sequitur, quod deus per idem convenit cum aliis et distinguatur ab eis, nam sie per aliud tunc sequeretur compositio. Similiter quidquid est in Deo vel dicitur de eo, est deus essentialiter, quia in eo non est accidens, nec etiam superioritas nec inferioritas. Quia cum superius sit in potentia respectu sui inferioris, sequeretur, quod in ipso esset potentia, quod est absurdum. Tunc arguo: omne, quod est in deo, est essentialiter ipsum ita, quod nec superius nec inferius. Ergo de quo ponitur entitas dicta de quo ponitur deus.

[8] Item capio illum conceptum entis in communi vel est absolutus vel comparatus. Si absolutus non ponitur de comparato, et per consequens non ponitur de relatione nec de accidente. Si sit comparatus, non ponitur de absoluto. Dicitur et bene, quod nec est absolutus nec comparatus, sed substrahit ab utroque. Nec haec divisio absolutum vel comparatum est diviso immediata circa conceptus, sed circa entia secundum esse in suppositis. Contra: Quaero de illo conceptu: aut est absolutus aut non absolutus et eodem modo aut est comparatus aut non comparatus. Ista divisio est immediata circa omnia, sive sit ens sive sit non ens. Si dicatur, quod est absolutus, sequitur ut prius, quod ponitur non de comparato, quod est contra praedicta. Si non est absolutus, ergo non ponitur nec est commune enti absoluto, puta substantiae.

[9] Item si ens sit commune cum enti, capio eius oppositum totam sui communitatem, quod erit non ens. De illo verum erit dicere, quod est ens, cum intellectus circa hoc potest ratiocinari. Ergo unum contradictione oppositorum ponitur sic de alio.

[1] Ad primum dicendum, quod pro tanto dicitur immediatum, quia substantia nec quantitas non possunt resolvi in aliqua prin-

cipia quidditatis expressa per definitionem, quae definito proprie est medium in demonstratione per intentionem Philosophi ibi.

Ad aliud respondet a materia ubi prius, quod pro tanto differentiae vel genera se ipsis vel se tertiis differunt, quia nec in ratione quidditaria nec in aliquo principio constitutivo quidditatis conveniunt.

[2] Ad aliud quod non est VI. universale, quia communitas universalis debet esse simpliciter univoca.

[3] Ad aliud negandum est, quod substantia non est pars definitionis hominis, nam est pars definitionis animalis ut patet. Similiter, ut dicit Philosophus[1] VII. Metaphysicae, non differt definire per proximum genus et substantiam differentiam et per primum genus cum omnibus differentiis communiter.

[4] Ad aliud dicendum, quod substantia est ens per essentiam sic, quod non naturam alterius generis superadditam, non tamen sic per essentiam, quod per aliquid inclusum in essentiam sicut per partem constituentem eius quidditatem vel essentiam. Et cum dicitur, per additum', intellegendo, per additum non naturam additam, ut dictum est, sed conceptum non inclusum in quidditate sicut partem nec sicut totum. Quidquid est respondendum ulterius ponendum statim in secundo pede. Dandum enim est, quod substantia est ens per entitatem, et ulterius, quod est ens entitas, intellegendo per ens non habens entitatem, sed quo res habent entitatem. Et sic dico, quod entitas est ens primo et per essentiam nec fuit eadem ratio standi in primo.

[5] Ad aliud dicendum, quod non determinatur ex se, ut probat ratio, nec per aliud sibi additum sicut pars constituens, quae respicit id quod determinat ipsum sicut potentia actum, sed determinatur solum specificando ipsum per suum inferius, sic dicendo ens, quod est substantia. Et conveniens esset exemplum de animali, si praedicaretur per se de rationali, tunc non descenderet in hominem nisi per modum praedictum.

[6] Ad aliud concedo, quod ens est commune primae causae et causatis eius. Primum concedo, quod aliquid est prius primo

---

[1] c. 12, 1037b–1038a.

sed non virtute essendi vel causandi, sed prioritate qua aliquid dicitur prius a quo non convertatur subsistendi consequentia. Ad aliud dico, quod ens non est simplius Deo. Et ad probationem, dicendum, quod illa propositio est vera quando communis est per quidditatem constituens cum aliqua parte definitionem.

[7] Ad aliud dicendum, quod non sequitur, quod per idem eodem modo conceptum vel quod per eundem conceptum conveniat et differat ab eodem, quia convenit in conceptu entis et differt per propriam rationem dei, nec sequitur comparationem, non ponitur de deo sicut pars quidditatis, sed solum sicut concomitans modo praedicto.

Sed contra istud sunt duo dissimilia. Primum est, quod non videtur secundum istam responsionem, quod deus sit suum esse vel sua entitas magis quam quaecumque creatura, quia utrobique, ens est solum concomitans, non tamen sicut accidens. Secundum est, quod propositio, per quam Aristoteles[1] probat, quod ens non est genus III. *Metaphysicae*, esset falsa hic, scilicet quod ens non habet differentiam, extra cuius intellectum ipsum est, quia secundum istam viam est extra intellectum cuiuslibet non sicut accidens alterius generis additum nec etiam sic est genus additum differentiae, et per consequens ens est extra intellectum rerum, sicut requiritur, quod genus sit extra intellectum differentiae.

Ad primum dicendum, quod differentia est inter quidditatem et esse in hoc, quod omne quid in quantum tale est potentia et determinabile per quale esse inquantum huius est actus. Et eodem modo ens nullo modo determinabile est per aliquid, respectu cuius se habet sicut potentia ad actum ex quo et actu fiat unum, sed solum est determinabile specificando ipsum per suum inferius, secundum quod animal determinatur per hominem, cum dicitur animal quod est homo, non quemadmodum determinatur animal per rationabile.

Ulterius dicendum, quod omne circa primum includit quidditatem vel qualitatem. Genera enim generalissima includunt quidditaten tantum. Species autem omnis includit quale quid differentiae quale; quale aliud determinans et informans et qualificans potentiam vel gradum a quo accipitur quid. Deus autem nec est

---

[1] c. 3, 998b.

quid, quia sibi repugnat qualificari et ratio potentiae qualitatis, et per consequens sibi repugnat, quod sit quale quid. Repugnat etiam qualitas, cuius est determinare vel informare, sed includit, immo est essentialiter ipsum esse, cui repugnat et qualificare et qualificari. Per hoc patet, quod ens respicit entia creata solum sicut concomitans non autem deum sed essentiam.

Ad aliud dicendum, quod *Philosophus* probat ibi, quod ens non est genus, quia habet differentiam de qua non ponitur nisi quia de specie et sic per accidens quia de specie per se. Similiter requirit, quod comparetur ad differentiam sicut potentia ad actum, ex qua et actu fiat unum per se. Modo utrumque est falsum de ente, quia ens aeque intime concomitatur differentiam quamcumque sicut speciem, cuius est differentia illa. Similiter ens, ut dictum est ad nihil comparatur sicut potentia ad actum. Dicetur, quod Aristoteles non dicit, quod ens est genus, nisi quia non habet differentias, extra quarum rationem ipsum est. Dicendum, quod Aristoteles hoc non dicit, et dato, quod diceret hunc intellectum, sicut dictum est, scilicet quod non habet differentias, extra quarum intellectum sicut actus extra rationem potentiae. Arguitur conceptus entis in indivisibili consistit, ergo in quo est, totum est non ergo perfectius et debilius. Dicendum, quod licet conceptus abstractus entis sit indivisibilis nec est ordo incomparabile ad illum conceptum, tamen in entitate, quae est in substantia, est quaedam perfectio intensiva praeter gradum substantialiter, qui non est in accidente et secundum illum gradum intrinsecum enti dicitur substantia perfectius ens quam accidens. Et eodem modo homo est perfectior animal quam musca. Unde si reduceretur in forma, esset figura dictionis in argumento commutando quid in quantum. Ordo enim attenditur penes quantitatem perfectionalem entis, univocatio autem penes conceptum abstractum.